

De hydrope sicco ac flatulento ... / [Carl Friederich Schultze].

Contributors

Schultze, Carl Friederich.
Vater, Christian, 1651-1732.
Universität Wittenberg.

Publication/Creation

Vitembergae : Augustus Kobersteinius, [1713]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/adwmhgw4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

AVSPICIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

SERENISSIMI PRINCIPIS REGII AC DOMINI,

DOMINI

FRIDERICI AVGVSTI,
ELECT. SAXON. HEREDIS

DE

HYDROPE SICCO AC FLATVLENTO

PRAESIDE

DN. CHRISTIANO VATERO,

PHIL. ET MED. D. EIVSDEMQUE PROF. PVBL.
NEC NON PHYSICO PROVINC. SAXON. ET
ARCHIATRO ANHALTINO

PATRONO AC PROMOTORE SVO IN AETERNUM

DEVENERANDO

PRO - LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

DOCTORALES RITE IMPETRANDI

AD D. NOVEMB. A. C. MD CC XIII.

IN AVDTORIO MAJORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM SVETIS
PVBLICE DISSERET.

CARL FRIEDERICH SCHVLTZE
BRANDENBURG. MESO-MARCH.

VITEMBERGAE,

EXPRESSIT FORMIS AVGVSTVS KOBERSTEINIVS.

и въ сълънцемъ
и въ звѣздахъ
Ильо
и въ вѣтре
и въ въздухъ

Чоясън

Садимъна

Садимъна

Атмълъ-Яр

Атмълъ-Яр

Атмълъ-Яр

Атмълъ-Яр

Атмълъ-Яр

DE

HYDROPE SICCO AC FLATVLENTO

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA.

PROEMIVM.

Inter morborum, qui uitae humanae insidiantur, myriades, plerosque circa uen-
triculum eiusdemque canalem alimen-
torum generari et soueri, eosque, iudice iam *Hip-*
pocrate nostro de Arte Thes. XVII. in obscurō admo-
dum positos, et minus euidentes, quilibet facile in-
telligit, qui nouit, partem hanc eo loco a natura
positam esse, ubi ob membrorum, quae longa serie
complectitur, capacitatem, atque ingestorum ali-

mentorum copiam, uarietatem et impuritatem uberrimo semper illuuii scatet prouentu: Fieri sane aliter non potest, quin causarum tam exteriorius irruentium, quam internarum concursu, saepius sane in alimentorum debita ibidem digestione, depuratione, indeque, per innumeros exilissimorum uascularum tubulos mirifice perplexos, distributione quoquis fere momento contingat, ut partium et functionum istarum harmonia multis modis turbetur aut penitus euertatur. Est enim hic prima et praecipua digestionum officina, ubi siue male conuenit humoribus, siue organis, mille statim parata sunt morborum semina: Nulla autem causarum, praeter rationem uiuendi dissolutiorem, uidetur esse frequentior et periculo manifestior; utpote, qua toto die fit, ut tanta istae partes humorum superfluorum et crudorum obruantur illuuii, quae destinatis inibi receptaculis ne quidem excipi, multo minus debite digeri et distribui queant. Oriuntur hinc tot uascularum obstrukiones, humorumque corruptiones, cachexiae, febres, diarrhoeae, tormina, aliaque quam plurima mala, quae hic recensere, instituti ratio non admittit: Vni tantum Hydropi, eidemque in specie sicco et flatulento jam digitum inten-

intendere, et quae hactenus ad accuratiorem eiusdem cognitionem et curationem, crebris cadaverum sectionibus, aliisque signis obseruata sunt, loco speciminis inauguralisthesibus hisce delineare decreui: Faxit immortale Numen ut cedant in ipsius gloriam et proximi languentis auxilium.

Thes. I.

Nemo offendatur hic nomine Hydropis flatuosi; utpote quo etiam ipsi artis nostrae Parenti Lib. IV. Aphor. XI. et Galeno Comment. ad hunc Aphorismum eundem affectum consignare placuit. Prosper Martianus quidem Comment. in L. Hipp. d. Acut. Sect. IV. v. 373. nec non in libr. Coacar. Praenot. et cum eo Lindanus aliique per Hydropem siccum Hippocratem potius Ascitidis illam specimen intellexisse uolunt, ubi abdomen quidem aquis repletur, pedes uero et aliae extremitates arescunt et exsiccantur, idque exinde colligunt, quando Sect. IV. Aphor. XI. legitur: *Quibus tormina et circa umbilicum dolores, et lumborum dolor, qui neque medicamento, neque alias soluuntur, in hydropem siccum fit conuersio:* Et S. III. Coac. Praenot. V. L. VI. *Quibus ex aliqua aegritudine ad hydropem res deuenit, his alii siccae, excrementa caprinis stercoris, sphaerulis similia, egeruntur*

cum colliguatione mucosa et urina non bona, et distensiones circa hypochondris et tumores ac dolores circa uentrem et laterum mollitudinem, et juxta spinae musculos accidunt, febres item et sitis et tusses siccacae sequuntur. Verum eo ipso tantum illi probare mihi uidentur, flatus indeque oriunda tormina imo ipsam Tympanitem hydropem, ascitem tanquam causam non raro antecedere, imo cum eadem complicari; exinde tamen inferre non licebit, flatus istos interdum non seorsim, et citra omnem aut, minus notabilem aquositatem intra cauitates istas colligi posse, quae in specie dictum hydropem siccum constituunt, tot obseruationibus jam tum, et quotidiana fere experientia notissimum, licet etiam Hippocr. Libro suo de flatibus et alibi nullam ejus descriptionem perfectam reliquerit.

Thes. II.

Reuera enim faciem quoque Hydropsis aquosi extrinsecus refert, imo talem non raro antecedit, aut etiam eidem complicatur. Alias quidem etiam non incommode Hydrops Tympanites, uel Tympania uocatur, eo quod abdomen aegrorum ejusmodi nimium quantum extendatur, et

et percussum, tympani instar bellici, sonum edat: Est enim, non minus ac Hydrope Ascites, Tumor abdominalis imprimis, aut etiam aliarum partium uicinarum, enormis et durus, sed leuis magis et siccus, cum rugitibus, palpitationibus cordis, torminibus hypochondriacis, colicis, difficultate spirandi aliisque grauissimis symptomatis stipatus, et a flatibus in cavitatibus istis collectis oriundus.

Theſ. III.

AEQUE nimirum, ac in Hydrope abdominalis aquoso, intumescit hic totum abdomen in tantam faepius molem, ut etiam rupturam aegri metuant, nulla tamen in contrectatione ejus, siue ab ægro, siue aliis, sentitur mollities, aquositas uel fluctuatio humoris alicuius, tota potius abdominalis regio fornicata quasi, siue aequaliter tumida attactui uix cedit, aut, si cedit, statim tamen resilit, manente semper aequali superficie: Neque etiam tanta hic ac in aquoso sentitur grauitas, quin potius notabilis leuitas, respectu Ascitis, sed eo major distensio, ac durities totius abdominalis. Accedunt insuper continua fere murmura, rugitus, cardialgia, dolores colici et iliaci, modo fixi magis

gis et immobiles, modo uagi, palpitationes cordis, et difficilis admodum respiratio'; Eaque omnia eo grauiora, quo majorem successiue gradum et augmentum acquirit morbus.

Thes. IV.

PAtitur enim hic tota abdominis regio, a coxis et pube ad diaphragma usque extensa, et in ea tot uiscera plane insignia, multiplicibus digestionibus, transcolationibus et depurationibus succorum destinata, a quibus deinde reliquae partes omnes totius corporis, uti alias suam nutritionem, sanitatem et uitam, ita nunc quoque laesiones istas participant. Imprimis in Ventriculo et reliquo alimentorum canali materia et fomes flatuum ex alimentis prauis, eorundemque prauis digesti-
nibus, primum generantur et colliguntur; unde etiam in cadaueribus, ex hoc morbo defunctis, et apertis, saepius nihil horum in ipsius abdominis ca-
uo, omnes uero in intestinis tantum nimium di-
stentis, simulque uariis locis distortis et conuolutis inueniuntur, testantibus id obseruationibus pluri-
mis apud Bonettum in *Bibliotheca Anatomica P. II. et*
Med. Sept. P. I. In specie quoque apud Sennert. L. III.
Prax. P. VI. Sect. II. C. IV. Plater. L. III. Guil. Fabric.

Hild.

Hild. Cent. VI. Obseru. LXXIV. Anton. Beniuem. Cap 81.
 obseru. Smetium Misc. Med. L VII. Epist. IV. Hercul. Sa-
 xon. Prael. Pr. P. II. C. XXIV. Dolaeum Encyclop. Pr.
 L. III. C. IX. Scholz in Ephemerid. German. D. I. A. II.
 et alios. Ex quo etiam fit, quod aegri tales, a flati-
 bus siue per superiora, siue inferiora erumpenti-
 bus, maximum solamen percipient.

Thes. V.

TAmen non semper et solum in officina hac
 subsistunt flatus, tanquam carceribus inclusi,
 sed majori copia collecti ac congregati, ut ab in-
 testinis amplius contineri, nec ob distensionem ac
 conuolutionem eorum exitum inuenire queant,
 necessario spatium, ui elasticitatis suae, quaeren-
 tes, uniuersum eorum tubum enormiter exten-
 dunt, eoque ipso poros ipsorum, immo etiam o-
 scula uasorum lacteorum et sanguiferorum nimi-
 um dilatant, sibique uias elabendi aptissimas quae-
 runt et aperiunt. Ex qua ratione non solum in
 ipsius abdominis cauitate, testantibus obseruatio-
 nibus apud Theodorum Schenkium, Rolsincium, Vale-
 sium, Helmontium, Menjotium et alios, sed etiam in
 uasis sanguiferis, ipsoque Corde reperiuntur.
Vidi, inquit Pechlinus l c. teste et arbitro Syluio,

dauer aperiri hominis a multis uentris doloribus, pe-
ctorisque angustiis tandem oppressi, quem, et si jam
ante flatibus laborasse conjiceremus, sectio tamen rem
omnem eo clarius docuit. Primum enim ut Abdomen
aperiebatur, erumpentes ingenti copia flatus cameram
foedo atque impudico odore repleuere: Intestina deinde
omnia binc inde, ut fieri solet, turgida deprehensa;
Ventriculus quin etiam totus inflatum utrem referebat,
adeo ille extensus erat. Et uero perambulasse jam
uentorum regionem uidebamur, cum ad nouum specta-
culum magnitudo cordis, uel duabus partibus naturali
major curiosos auocaret. Itaque, qui Polypum hic, aut
copiosos sanguinis grumos ad futuros credebamus, uen-
triculum utrumque omni cruore uacuum, sed a copio-
so flatu in immensum aductum deprehendimus, im-
primis uero dextrum ejus uentriculum, una cum auri-
cula et uenis sociis. Aeri sane nulla corpora im-
peruia, multo minus uiuentia, non nisi ex meris
uasculis et tubulis conflata, et praeterea succis ae-
re plenissimis referta: Hinc si uel digitii solum ex-
tremitas speculo, uel alii corpori polito, propius
ad mouetur, statim macula quaedam ab effluuiis
exeuntibus ipsis inducitur; Et, si excreta sensua-
lia corporis nostri cum quotidie assumptis alimen-
tis comparantur, habito simul respectu augmenti
eius

ejus exigui, oppido patescit, quotidie majorem quantitatem effluuiorum insensibilium, quam excretorum sensibilium, a nobis effundi, uti etiam incredibili industria et patientia haud contemnenda satis abunde probarunt *Sanctorius in Medicina sua Statica, et Robertus Boyle de Poris corporum.*

Thes. VI.

Sed adhuc obseruare conuenit, ejusmodi flatuofum spiritum, non solum inter tunicas et uesticulas uiscerum, sed in toto corporis ambitu, inter cutem, panniculum carnosum et musculos ita coaceruari posse, ut Hydropis Anasarcae, sed itidem siccae et flatuosae, faciem perfecte ostendant; Cujusmodi notabilem Anasarcam, quam Tympanitem uniuersalem appellat, ex Schmetio refert Willisius *Pharm. Rat. Sect. II. Cap. IV.* in Juvene quodam Leodinensi, qui, cum in conflietu subter axilla dextra uulnus punctum factum, in pectoris cauitatem penetrans, accepisset, postridie toto corpore, post unicam noctem, manne turgidus apparebat, non solum in pectore; sed etiam dorso, uentre, lumbis, pedibus, brachialis, imo collo et tota facie, ut ne palpebras quidem deducere potuerit, quin et in uertice ipso, cute ubique distenta et tumefacta cum dolore

non leui. Cui etiam prorsus similem casum annotauit Sennertus de hoc affectu, ex propria experientia ; Et talem quoque ante aliquot annos in Studio Dantiscano, ex ejusmodi uulnere Thoracis contigisse, ab Excellent. Domino Praeceptore Praefide relatum audiui : Hujusque tam subitaneae inflationis rationes Willius quidem in spirituum animalium motu anomalo, a punctura forte neuorum axillarium oriundo, deriuat, uerum, praeter quod de punctura neuorum, in istis facta uulneribus, nihil certi constet, rationem reddere omisit, quare in illis tantum uulneribus, non uero aliis quoque neuorum puncturis, eadem inflatio totius corporis contingat, et unde in thoracis illis uulneribus tam subito oriatur, rursus que cito euanescat : Potius igitur cum Sennerto nostro eandem factam putamus, quando aer extraneus per thoracis uulnus ingressus, rursusque exsufflandus, propter uulnus obturatum, exitum non inueniens, cutis interstitia subiit, ibidemque cum reliquis partibus spiritualibus, in succis habitantibus, ejusmodi anasarcam flatuosam tam subito excitauit. *Conf. Hildan. C. V. obs. LXX. M. Don. Hist. Med. L. I. Schenck. L. V. obs. & Riuier. C. V. obs. LXIX.* de Flatu ejusmodi furioso totius corporis.

Ihes.

Thes. VII.

Merito igitur omnem inflationem, siue Intestinorum solum, siue abdominalis, siue etiam aliarum cavitatum, tribuimus potissimum aeri, qui non solum per inspirationem et transpirationem ad intima corporis nostri admissus, sed etiam cum alimentis et potulentis omnibus intra uentriculum et intestina receptus, tanquam primus motor, digestiones et secretiones omnes, uia mobilitatis et elasticitatis suae excitat et promovet, eoque ipso cum humoribus istis transit et perspirat. Quodsi uero culpa ipsius, uel alimentorum, aut organorum adjuuantium, digestiones istae minus recte succedunt, facile etiam fit, quod in suo motu inhibitus, uel turbatus, extra limites tendat, et mille mala, imprimis quoque nostrum affectum gignat. Frequentius et manifestius hoc fit in prima corporis regione, ueluti propria officina, ubi, ut jam antea meminimus, propter innumeros in diaeta commissos errores primum generantur tot cruditates uiscidae, pituitosae, austerae, acidae aliaeque, a quibus adeo prae digestis, etiam partes ejusmodi heterogeneas imprimis salinas cum aere misceri, et intra cavitates colligi necesse est. Sunt enim ibi-

dem uarii admodum intestinorum anfractus, anguli, ualuulae et cellulae, ubi insuper uarii succi, saliuia, limpha uentriculi ipsius, pariter ac intestinorum, succus pancreaticus et bilis, ad digestiones illas promouendas consluunt; quibus si praeterea ex aliis morbis antecedaneis male conuenit; non potest, quin propter eorum intemperiem plus minus acidam, austera, salso acrem, aliamue, alimenta, siue salubria, siue insalubria male digerantur, depurentur, indeque flatuum materia foecundissima generatur.

Tbes. VIII.

Imprimis uero pituita sic dicta, seu humor uiscidus, ualde glutinosus et crudus commodissimum iisdem fomitem et pabulum praebent, quando ob partium suarum glutinositatem, tenacitatem et plicabilitatem, partes acres flatuofas non solum largius colligit et diutius retinet, sed simul quoque cum iisdem in halitus copiosos abit. Cuidum bilis, tum temporis aequa uiscida, tamen lixiuiosa acris accedit, non potest, quin orto inter succos istos heterogeneos motu intestino, quasi fermentatiuo, pituita ista quodammodo resolutatur, et in uesiculas uel bullulas aere plenas redigatur; quemadmodum aqua, sinegmati beneficio, glutin-

glutinosior reddita, nec non alii liquores quicunque glutinosi, in bullas ejusmodi conflari solent. Cujusmodi etiam bullarum, ex pituita ualde glutinosa conflatarum, et flatus intus continentium, insignia exempla habentur in *Ephemerid. German. Dec. II. A. I. Observ. LXXX.* ubi aeger quidam cum passionibus colicis diu conflictatus, quibus libet remediis frustra exhibitis, tandem usu clysmatum efficaciorum, maffam ex multis uesticulis contextam, quarum majores globoli juglandium, minores nucum auellanarum magnitudinem excedebant, manifesto cum leuamine excreuit; quae uesticulae tam tenaciter sibi adhaeserunt, ut uix diuelli potuerint, disruptae uero, mephitim flatulentam admodum foetidam emiserint. Et alia ibidem foemina a longo tempore asthmatica et anhelosa, ejusmodi uesticulas, longe majores, magnitudine Pomi borsfianni, magno quidem labore, tamen cum *Euφορβα*, per uices rejicit. Ex quibus sane et similibus oppido patet, quantum humores ejusmodi glutinosi et tenaces ad producendos morbos flatulentos, et in specie hydropem nostrum faciant, curamque illorum longe difficillimam reddant.

Tbes. IX.

ATque hinc sit, quod phlegmatici sic dicti, seu potius

tius phlegmatico-cholerici, uel phlegmatico-melanholici potissimum, uti in passiones hypochondriacas, colicas et iliacas, ita in hunc affectum prae caeteris maxime proclives obseruentur. Ideo quoque hypochondriaci, quasi uentiloqui, continuo fere horrenda murmura et rugitus, etiam adstantium aures offendentes, sentiunt, imo post cibum sumptum flatibus adeo saepe tumescunt, quasi a folle ita inflati, ut etiam intestina extensa, eorundemque cellulæ et anfractus manibus distingui queant. Tale rursus exemplum insigne apud Bonettum in sepulchreto P. I. habetur Virginis Hypochondriacæ et atrabilariae, quæ hypochondriorum obstructionibus et inflationibus diu uexata, adhibitis frustra remediis omnis generis, tandem hydrope siccò superueniente exspirabat; Id quod etiam in Abbatissa Heruordiensi contigisse, obseruauit Schmetius l. c p. 528. Cujus tympaniam, et ex ea mortem, antecedebant tumor durus et scirrhosus hypochondrii dextri, cum cruciatibus acerbissimis et anxietatibus, per interualla circa umbilicum recurrentibus, nec non manuum inflationibus et maculis liuidis. Idemque in Tympania cum Melancholia hypochondriaca et catarrhis coniuncta Job. Colles fol. 181. se uidisse refert.

Thes.

Thes. X.

ITa porro notabile quoque est, febres non solum intermitentes, et cum obstructionibus uiscerum conjunctas, sed etiam continuas interdum affe-ctum nostrum comitari, aut etiam cum eodem tri-stem euentum fortiri: idque comprobat Virgo, exempli loco, illa, cuius meminit Pechlinus, febre solum tertiana detenta, cuius singuli paroxysmi, in-ualescente potissimum calore, cum tanta totius ab-dominis inflatione inuadebant, et repetebant, ut etiam, propter repentinum et insolitum phae-nomenon, multis suspicionem ueneni hausti praebuerit, donec cum Paroxysmi toties remitte-bat, et febre curata, penitus cessabat. Quid ergo mirum, quando febres quartanae et similes inuete-ratae, cum majori humorum uisciditate, uiscerum-que obstrukione conjunctae, toties in Hydropem Ascitem, uel etiam Tympaniam abeant, qualem et-iam refert *Matth. d. Gradi Consil. L. II. fol. XLVII.* Aliam uero, cum febre putrida et heptica, *Epiphani-us Histor. f. 209.* Sed majorem longe meretur admira-tionem, quod etiam in febribus continuis et malignis idem interdum obseruetur, uti in Febris Hungaricae principio aliquoties obseruauit *Conra-dinus in Tract. de febr. hungar. C. LXVII.* Et cum eo

Drauvizius de Scorbuto T. I. p. 65. In Simplici
uero continua *Ballonius Paradigm. 141.*

Thes. XI.

Alias quidem rarum non est, quod Tympa-
nia subitanea etiam a uenenis haustis produ-
catur, de quo exempla habentur *apud Card. L. II.*
de Venen. C. I. et alibi, unde etiam intumescentia
subitanea totius corporis, uel solum abdominis,
absque aliis causis manifestis contingens, inter
signa hausti, ex improviso, ueneni a Medicis refer-
tur, ut uidere est apud *VVelschium in Vuln. judic.*
rational. C. ult.

Thes. XII.

IMo etiam uermes huic malo occasionem prae-
bere possunt, quatenus non solum excremen-
ta uiscosa, acria reddunt, et cum alimentis permi-
scant, sed etiam intestina grauiter saepius pungunt,
uellicant et sic in motus spasmodicos redigunt,
unde sane digestiones maxime turbari, nihilque
nisi cruditates uiscosas et flatuosas oriri necesse
est. Hujus rei fidem rursus faciunt, in cadaue-
ueribus, ex hoc morbo defunctis, obseruationes
quamplurimae: Ita *Hercul. Sax. l.c.* refert, quod in
Nobili Patauino, decem annorum, cum tumore in-
genti

genti subitaneo, et Tympanitem aemulante, mortuo et secto, non solum intestina flatibus plenissima, sed in uentriculo ultra triginta uermes, eorumdemque multos sesquipedales inuenierit. Pariter *Platerus* in Puer, septendecim annorum, intestina, praeter flatus, quamplurimis uermibus oblongis et adhuc uiuis referta, uidit, qui rursum aliis minoribus repleti, tantos motus in abdome, etiam post mortem excitarunt, extrinsecus adeo sensibiles, ut etiam adstantes, de sepeliendo cadauere, ambiguos reddiderint.

Thes. XIII.

Sed praeterea in ejusmodi cadaueribus etiam periuntur saepe uiscerum uariorum, hepatis, nempe, lienis, pulmonum aliorumque scirrhi, corruptiones et consumptio[n]es: Inter Tympaniticos sub cura mea fuit, inquit *Bonetus Thesaur. Pract. L. IV. Cap. XLVIII.* puellus triennis, qui ex abscessu in pectore oborto, post decimastrem languorem obiit; biduo uero, antequam e uiuis excederet, Tympanites accedebat, qui puellum, prae summa uentris distensione, suffocabat. Causam interitus, ut manifestarem parentibus, dissectionem feci, et praeter abscessum in pectore, aperto abdomi-

ne adeo exiliere intestina, ut omnes mirati fuerint, quomodo capacitate uentris concludi potuissent: Pellucidissima illa erant et tenuissima, cuiusmodi ea, quae ad tucetorum confectio-
nem parantur, ex simplici tunica parata. Ali-
us Eques generosus XXVII. annorum, referen-
te *D. P. Petri in Ephemerid. German. Dec. I. A. II.*
Obs. LXXVII. malo hypochondriaco, et obstru-
ctionibus uasorum mesaraicorum diu obnoxius,
postea, in Intestino recto mali moris ulcere fistu-
loso contracto, ob denegatum excrementorum
transitum, tandem, remediis omnibus incassum
adhibitis, lethalem tympanitem contrahebat.

Theſ. XIV.

Adeo multi et uarii admodum, etiam ex mil-
le aliis causis oriundi morbi, huic nostro fo-
rēs aperiunt, quibuscunque solum digestiones et
distributiones succorum turbari, et flatuum mate-
ria suppeditari, aut solum frequentes intestinorum
motus conuulsiui excitari queunt. Commemoran-
dum enim omnino hic est, quod non sola flatuum
collectio, earundemque elasticitas, sed intestino-
rum quoque ipsorum motus conuulsiui, ad pro-
ducendum hunc affectum quam maxime faciant;

quan-

quando nimis eadem, siue a flatibus ipsis, siue humoribus acribus, uenenis, purgantibus fortioribus, uermibus aliisque grauiter uellicata et laesa, crispantur, et spastico modo contrahuntur, uel extenduntur, fit, ut distributiones succorum ibidem non solum turbentur, impediantur, sed etiam uasorum circulantium oscula constringantur praeter naturam, alia aperiantur nimium, consequenter flatibus et humoribus, extra limites su-as naturales elabendi, ansam praebent: Quo etiam respexit *Villisi*, quando l. c. omnem hydrope ficum ab intestinorum, mesenterii, peritonaei, aliorumque uiscerum membranoforum tensione, τετανώθει spasmodica potius, quam a nimia flatuum intus conclusarum copia; eandemque tensionem, a spiritibus animalibus, fibras membranarum istarum impetuosis subeuntibus, dependere docuit.

Thes. XV.

Sed, praeter haec interna corporis mala, etiam mille alia extranea, malo huic occasionem et causam dare solent, siue cruditates uiscidas, glutinosas & flatuosas suppeditando, siue conuulsiones et spasmos intestinorum excitando,

aut aliis rationibus digestiones, depurationes, et distributiones succorum in abdomen, quocunque modo turbando et inuertendo. Accusandi hic prae caeteris sunt omnes cibi et potus crudi, craf-
fi, uiscidi, austeri, acidi, flatulenti, qui inter sub-
stantiam et texturam suarum partium uiscidarum,
etiam multas aereas particulas, nec non salino ful-
phureas continent; e. g. omnia olera, legumina, et
fructus horaei, facile fermentabiles, putrescentes
et similia, ut sunt Pisa, fabae, poma et pyra subacida,
adstringentia, cydonia, mespila, uuae, et ex iis
paratum mustum, cereuisia recens, piscium ge-
nera uaria, lacticinia corrupta, aliaque: Imo po-
tus Coffe in multis, praecipue phlegmaticis flatus e-
normes excitare, obseruatur, in primis si refrige-
ratio corporis secuta; De quibus, si placet, legan-
ur *Fienus lib. de Flatibus, Helmontius de Flatibus.* Vidi
in Collegio Experim. D. D. Praefidis non semel
pisa, fabas uel similia legumina repleta, et parum a-
quae irrigata, adeo intumescere, et receptacula
clausa flatibus replere, ut non solum pondus ipso-
rum manifeste auctum, sed uasa ipsa cum frago-
re dissilierint. Cujusmodi experimenta plura
alia habent: *Robertus Boyle, experim. Phys. mechan.*
et Stair Phys. Experim. Explorat. XIX. Sect. XIII. Hel-
mont.

mont. l. c. Sed singularem Tympanitis et Ascitis causam in Auriga obseruauit *Langius*: nempe oua in acetofrixa, Halis largiori in copia assumpta, unde alui adstrictio pertinax primum orta, quam infecuta statim abdominis inflatio maxima; a qua tamen, uti Autor perhibet in *Pr. Med. P. II. C. V. Thes. XIII.* curari potuisset, quoniam, adbibitis frequentibus clysteribus oua illa adhuc integra, post uigesimum diem, rejicit, nisi uasis lymphaticis et lacteis, ob distensionem nimiam intestinorum, ruptis, ascites, et cum ea demum mors infecuta fuisset. Sed tamen adhuc sciendum, quod non solum alimenta ejusmodi crassa et uiscosa, quin etiam alia magis salubria flatus efficere queant, quando in corporibus jam tum cacochymicis, et debilitate uentriculi aliorumque uiscerum laborantibus, minus rete digeruntur et depurantur. Atque inde etiam fit, quod unus praे aliis, etiam ab iisdem alimentis, flatibus magis uel minus afficiatur.

Thes. XVI.

ADhuc uero aliae causae supersunt, quae morbo huic nostro occasionem praebere solent; Sic e. g. Potus frigidus, imprimis ab incalescentia nimia, nec non refrigeratio corporis, mi-

rum

rum quantum, debitam hic transpirationem impediendo nocent; Et excessiui, aut incongrui et insueti corporis motus, saepe digestiones omnes, maxime in primis uiiis nimium turbant, eoque ipso non solum flatus excitant, sed et agitando humores id efficiunt, ut partes aereae, quas antea omnibus alimentis inesse demonstrauimus, compedibus, quibus detinebantur, liberatae, eo liberius se explicit, et longe lateque uagentur. Quemadmodum e contrario otium et quies nimia digestiones plane suffocat, transpirationem debitam sufflaminat, obstrunctiones uasorum et uiscerum promouet, atque sic multis modis symbolum suum conferre potest. De quo exemplum refert *Bonetus Bibl. Pract. P. I. L. VII.* Illustrissimae Virginis monialistympanite affectae, cui diuturna mora in aedibus sacris occasionem dederat. Neque hic tacere possum animi pathemata grauiora, imprimis moerorem, quoniam Smetius *Miscell. L. VII. Epist. 4.* puerperae alicuius meminit, quae Antwerpiae, durante puerperio, promisso matrimonio frustrata, prae animi moerore hunc morbum sibi lethalem contraxerat.

Thes. XVII.

ATque adeo ex his omnibus aliisque, breuitatis studio praetermissis, natura, sedes et causa hydropis sicci, credo, satis dignosci poterunt, ut ab aliis analogis morbis facile distingui queat; Quamuis, uti etiam Sennertus ingenue fatetur, principia ipsius obscura admodum sint, et cognitu difficillima, nihilosecius tamen in progressu se prodit, et, consideratis probe omnibus circumstantiis et inter se collatis, simul ejusdem differentiae admodum uariae, non solum ratione causarum, tam diuersissimarum, sed etiam graduum, subiectorum particularium et complicationum cum aliis morbis, nempe scorbuto, hydrope, ascite, scirrhis uiscerum aliisque facile cognoscuntur. Cum Platero non incommode tres Tympanitis species constitui possunt, quarum prima a flatibus in ipsis intestinis collectis, altera in cavitate abdominis, siue spatio inter intestina et peritonaeum; Tertia a flatibus et aqua in eadem cavitate simul collectis dependet; Quae postrema species adeo frequens est, ut multi tympaniam sine ascite uix fieri posse credant, judice *Waldschmidio in praxi*: Praeterea datur etiam hydrops flatulen-

D

et

tus particularis e. g. in utero ejusdemque ouariis et tubis solum haerens, de quo uid. *Forest. obs. LXIX. et Gladbach. in Idea Prax.*

Tbes. XVIII.

AD Prognosin uero ejus quod attinet, Omnis quidem Tympania, uti cognitu, ita quoque curatu difficillima. Ipsi aegri, uento quasi grauidi, nesciunt communiter conceptus sui causas et modum, indeque tum demum aegrotare se sentiunt, quando uix curari possunt. Procul dubio tamen minori cum periculo conjuncta est, ac facilis curatur incipiens, quam inueterata; in junioribus et consistentis adhuc aetatis aegriss, quam senibus; simplex, quam cum aliis morbis grauioribus, imprimis uiscerum corruptionibus complicatus; Si quidem caetera fuerint paria, et aeger praeceptis medicis morem gesserit. Vulgo quidem ascites periculosior judicatur Tympanite, cui tamen rationes et experientia contradicunt; Semper enim aliquid monstri alit noster affectus, ingentes nimirum et diuturnas uiscerum obstructiones, interdum plane scirrhosas, aliasque labes, quibus, accedente tunc uehementi distensione et pressura, uel etiam ruptura uasorum a flatibus, uel ipse ascites,

tes, uel inflammations uiscerum eorumque corruptiones facillime superueniunt, unde apposite in hanc rem Menjotius l. c. ita colligit : *Tympanitem ascite longe grauiorem esse puto, non, quod pharmaca Quσayώya nobis desint, Siquidem medicina nostra τὸ γαγώνοις luxuriat, et per paracentes in flatus non minus ac aquae e uentre educi possunt; sed quod plura uiscera in tympania, quam ascite, morbosa sunt.* Et licet aquae, uix uero flatus, cunctando putrefcant, *Tympania tamen non modo certius, sed etiam celerius interficit, ratione acerrimorum ac implacabilium dolorum, quibus Tympaniticus miser sine intermissione excruciat.* Et Dan. Puerar. in addit. ad Burnet. Thesaur. Med. Nunquam, inquit, *Tympaniticum conualescere contigit uidere.* It. Dietericus in Iatreo Hippocrat. p. m. 1254. qui tumet inflatus tympanite, funus bajulat ille suum; tympanumque gerit, ac pulsat ad duellum cum morte. Nihilo tamen minus ualet hic quoque consilium saluberrimum : Principiis obsta sero medicina paratur, cum mala per longas inualuere moras. Scendum, quod morbus hic raro per se et subito, sed longo demum temporis tractu, interuenientibus aliis morbis, ascite, uiscerum inflammatione, gangraena aliisque interficiat. Vbi quoque aetas

jam senilis, uel etiam nimis tenera, uiscera indu-
rata, uel plane corrupta, uasa lymphatica, aliae
erosa, morbi alii graues coniuncti, ibi parum uel
nihil spei supereft, licet medicina pro mitigatione
gandis symptomatibus remedia habet. Inter ea au-
tem pessima hic sunt alui et urinae suppressio; in-
dicant enim jam tum spasmodicam uiarum ista-
rum constrictionem et imminentem, uel praesen-
tem uiscerum inflammationem: Mala quoque in-
flammatio umbilici, uel alias abdominis muscu-
li, cum urina ualde rubicunda et crassa, utpo-
te quam gangraena, et mors e uestigio sequun-
tur.

Thes. XIX.

Quo grauior igitur, et periculo propior hic
morbus est, eo majori prudentia et dexte-
ritate opus, ut causae quaecunque, tam remo-
tiores, quam proximiores, a quibus flatus generan-
tur, uel fouentur, quantocvus remoueantur, eo-
que ipso flatus ipsi, eorundemque fomes et pabu-
lum, eliminentur, pariter symptomata quaecun-
que, imprimis motus conuulsiui, dolores et in-
flammationes, quantum fieri potest, praecauean-
tur, et uires aegri, uiscerumque tonus, defen-
dantur.

dantur. Quibus omnibus indicationibus ut satisfieri queat, remedia e tribus suis fontibus abunde suppeditat medicina, modo a Medico prudenter dirigantur et pro ingenti causarum, subjectorum, aliarumque circumstantiarum diuersitate, singulis quoque proportionata et proficua applicentur.

Thes. XX.

A Deoque ante omnia opus est, ut, commendo statim decenti diaetae regimine, cruditates pituitosae et biliosae uiscidae, nidorosae, acidae, acres, in uentriculo et intestinis praeparentur, ad exeundum praeparatae quoque subinde excludantur : Quo fine quidem a Medicis multa commendantur medicamenta carminativa, quae acreidine et uolatilitate partium suarum salino-sulphurearum, carminando quasi, humores uiscidos et glutinosos egregie discerpunt, attenuant et in halitus resoluunt ; sed quoniam, alias uti supra uidimus, in Hydrope sicco, halitus ejusmodi flatuosi nimium abundant non solum, sed etiam, propter uiarum obstrukiones pertinaces conjunctas, exitum facile inuenire nequeunt, quin potius, distendendo nimium intestina, imo in

spasticas contractiones redigendo, exitum sibi ipsis
praecludunt, eoque ipso tam graues et acutos do-
lores, inflammations aliaque mala inducunt, fa-
cile etiam fieri potest, quod ab ejusmodi carmi-
natiuis calidioribus et uolatilibus, sine selectu ad-
hibitis, malum potius exasperetur, quam curetur
uti etiam obseruationes et tristes, ab adhibitis istis
euentus, apud *Tulpium obs. Med. L. II. Fienum de fla-*
tibus C. XXI. Gremfium Arb. ruinos. et integr. L. II.
C. I. et Helmont. Tract. Ignota hydrops et alibi abunde
testantur.

Thes. XXI.

Commendanda igitur potius erunt aperitiua et
carminatiua temperatoria, eaque modo sali-
na, plus minus fixa, uel uolatilia, nitrosa, subaci-
da, terrea, gummosa, mercurialia, etiam aquosa
et gelatinosa diluentia et fibras crispatas demul-
centia, e. g. Arcanum duplicatum, nitrum fixum
alcalisatum, rosatum, perlatum, antimoniatum,
Japis Prunellae, uitriolatus, uitriolum martis
rite paratum, salia plantarum, digestuum Syluii,
succini uolatile, et cum his sociati pulueres cache-
tici, absorbentes, concharum, coralliorum, cry-
stalli, lapid. 69, antimonium diaphoreticum, ma-
ter.

ter. perlat. magnesia alba, cinnabaris nativa et antimonii, mercurius sublimatus dulcis, crocus martis aperitiuus et similia, nec non spiritus subacidi dulcificati, spiritus Nitri, Salis, et Vitrioli dulces, item de Gummate ammoniaco, ejusdemque essentia, Tinctura aperitiua Moebii, Tinctura tartari, arcanum tartari liquidum, liquor praecipitans, Elixir Proprietatis nitratum. Item decocta et infusa e radice rhabarbari, cichorei, taraxaci, helenii, curcumae, polypodii q. pimpinell. alb. eringii, foeniculi, leuisticci, herb. absynthii, alsinae, agrimoniae, centaurii, scordii, ueronicae, marrubii, trifolii fibrini, fumariae, hyssopi etc. Sem. Cummini, anisi, foeniculi, coriandri, baccarum juniperi, corticum citri, aurantiorum, tamarisci etc. E quibus et similibus, habita semper ratione temperamentorum, causarum diuersarum, morborumque complicatorum, formulae cuiuis aptae et proficuae formari possunt. In *Ephemerid. german. D. II. A. X.* laudatur ualde electuarium spagyricum, ex ejusmodi aperitiuis, rosat nouell. cum diatr. sanctal. Spir. Salis coagulat. aliisque paratum, quibus tamen alia, pro indicantium ratione, substitui, alia omitti possunt. A *Bournet. l.c.* tanquam summum specificum ad tympanitidem, laudatur liquor, e flori-

floribus tarsi expressus : Ab *Hertodio in crocologia*
Puluis expertissimus ex spiritu salis coagul. et spi-
ritu croci irrigato : A Febrio in Hierà Picra de-
scriptum oleum uiride , tanquam secretum , inter-
ne et externe usurpandum. Ita Grembs. l. c. me-
minit Cantoris friburgensis , qui , purgantibus ali-
isquo frustra fatigatus , solo spiritu sulphuris in a-
qua diluto , sanatus fuit.

Thes. XXI.

Hisque deinde aperitiuis adduntur et interpo-
 nuntur commode alia, quae humores illos ui-
 scidos flatulentos , nisi sponte sequuntur , per al-
 uum euacuare sufficiunt , ea tamen , ex rationibus
 antea dictis , rursus mitiora , tantum laxatiua erha-
 barbaro , mechoacanna , polypodio , agarico , se-
 mine carthami , foliis fennae , passulis minoribus
 parata , et cremore tartari , uel nitratis aucta . Quo
 etiam pertinet uinum illud medicatum laxatium
Epiphon. Ferdinand. quod hist. XLl. mirabile prorsus
 et innoxium depraedicat , Deumque testatur , il-
 lud nunquam a se sine fructu suisce exhibitum ;
 quale etiam laudat *Horstius L. IV. obs. 33.* Habe-
 mus tamen hodie longe selectiora et tutiora , quae
 drasticis illis facile substitui possunt ; Vel qui
 saepi-

faepius praestant, clysteres e speciebus emollientibus et carminatiuis composita, a quibus aegri illi, quorum jam supra ex Ephem. germ. mentionem fecimus, adhibitis frustra multis aliis remediis, alias probatis, frequenter usurpatis, tandem globulos illos aëre foetidissimo plenos excernebant, et praeter omnium spem a tympania sua liberabantur.

Thes. XXII.

Sed effectum horum tam carminatiuorum, quam laxantium, egregie promouent, simulque motus conuulsiuos et dolorosos leniunt fomenta et linimenta ex ejusmodi emollientibus in subsidium uocata e. g. unguentum de Arthanit. Emoll. Foresti Dialth. Carmin. Neruin. Oleum lumbricorum terrestr. chamoem. anethi, lauri, ruthae, st. anis. cumin. Juniperi, philosophorum. Item Emplastra emoll. Foresti, diaphoreticum M. Antihydrop. Aug. de baccis lauri, diacum. diasapon. uel cataplasmata et fomenta alia e rad. alth, bryon. Ireos n. sem. lini, foenugr.

E

miliij

milii fabar. cumin. baccis lauri, iuniperi, flor. chamoem. melil. samb. et similibus. Quibusdam etiam profuerunt epithemata salina lixiuiosa e uino, spiritu uini phlegmatico, urina, sale ammoniaco, nitro sale communi additis seminibus et farinis emollientibus, uti uidere est apud *Platerum l. c. et Hartmann. prax. chimiatri.*

Tbes. XXIII.

DE caetero tamen etiam ad symptomata urgenteria simul respiciendum: Ita si inflammatio uisceris alicujus, uel peritonaei, umbilici, partiumque uicinarum, aut febris accedit, uel solum imminet, nec alia contraindicantia obstant, nihil impedit, quin etiam uena secetur, quocunque loco et tempore apto, quicquid etiam *Bonettus* et alii in contrarium afferant, cum ratio non solum, sed etiam experientia nobis stipulentur. Ita ad dolores acerbissimos mitigandos faciunt in specie cinnabarina, nitratis et absorbentibus prioribus, nec non Emulsion: pulposis egregie humectantibus, et acrimoniam humorum

rum temperantibus parata. Opiata uero, uti in omni intemperie sicca, ita hic minus tuta esse judicamus. Pariter ad diuris in promouendam, nisi priora, nempe Spiritus nitri et salis d. Tinctura tartari, arcanum tartari liquidum, lap. prunell. et Sal plantarum, succini, sufficiunt, addi poterunt millepedes, propter sal suum nitrosum et uolatile egregie resoluentes, et in specie urinam efficaciter mouentes; unde etiam a Willifio aliisque practicis tantopere laudantur. Vmbilici nimium extensi ligatura si opus, eandem commode applicare docet Horst. *Cist. med. epistol. 116.* uel si flatus, inter intestina et peritoneum contenti, ibidem exitum quaererent, aequa ac in ascite, umbilicum secundum artem, per paracentes in aperire licet, nisi grauius aliquid obstet.

Tbes. XXIV.

TAndem quoque non est negligenda dieta, sed ita dirigenda, ut remediis reliquis exacte conueniat; Monendi sunt aegri, ut, imminentे aequa ac praesente jam malo, ab
E 2 omni-

omnibus alimentis crudis, uiscidis, flatulentis, fermentabilibus, acidis et austoris, uel etiam nimis calidis, aromaticis, acribus abstineant, e contrario uero talia eligant, quae boni succi facilisque digestionis, et quae natura sua temperata et dulci humorum quoque acrimoniam et uisciditatem corrigunt, temperant, fibras intestinorum afflictorum hume~~et~~tant, lubricant, aluum et reliquas uias excretorias aper-tas seruant: reliqua per se patent.

S. D. G.

